

XIV.

DE

CASPARE BARTHIO

SCHOLAE ISENACENSIS QVONDAM
ALVMNO ET ORNAMENTO
SPLENDIDISSIMO.

Cum aliae caussae anno proxime elapso mentem impellebant, vt per eandem, quae nunc nobis offertur scribendi occasionem, de disciplina scholae Isenacensis Lutheri magistrae, quantum per tabulae angustiam fieri poterat commentarer; tum haec non minima, immo praecipua animo obuersabatur, quod exemplo viri, in quo vno, quantum possit industria rectis studiis dedita omnium maxime adparuit, discentium, qui apud nos sunt animis propius admoto, nihil aut maius, aut efficacius ad inflammandam eorum industriam dari suppeditarique posse credebam. Atque illud quidem tanto minus erat praetermittendum, quum nemo sit, qui nesciat virtutem viri tantam tamque singularem fuisse, rebus saluberrime gestis tam insigniter nobilitatam, vt similis aut par huic nullus vinqvam ex hoc ludo proditurus, itaque